15

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

VULNERIBUS TIBIARUM

A

CONTUSIONE ORTIS,

Quam,

ADJUVANTE DIVINO NUMINE,

EX DECRETO ET AUTHORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

In Alma Argentoratenſium Univerſitate Regia,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI

SOLENNI ET PLACIDO EXAMINI

Ad diem 15 Jun. M DCC XXV.

ſubjiciet

JOHANNES HENRICUS BECKER

Mülhemio Montanus

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII.

VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSULTI
SIMO ATQUE PRUDENTISSIMO,

DOMINO
JOHANNI PETRO
JACOBI,

CELSISSIMI ET ILLUSTRISSIMI COMIT
A LEININGEN HEIDESHEIM CONSI-
LIARIO DEXTERRIMO,

SUO QUONDAM CURATORI BENIGNISSIM

ob innumera & Paterna plane in hunc usque
diem in ſe collata beneficia,

exiguas haſce pagellas, grati animi teſtandi cauſa, deb
ſubmiſſione & reverentia

D. D. D.

JOHANNES HENRICUS BECKER

PROOEMIUM.

PRouti variis Genus Humanum infeſtatur morbis, ita diverſis etiam indiget auxiliis; omnia enim corporis noſtri mala non ſola curat *Pharmaceutice*, ſed & interdum alia curandi methodo opus eſt, qua partes a violenta cauſa externa læſæ, quantum poſſibile, integritati reſtituantur, ut rurſus priſtino defungi poſſint officio. Præſtat id *ars Chirurgica*, quæ æque in *Medicina* neceſſaria eſt *ac fons Pharmaceuticus*. Et certe nemo negare poterit indiſſolubilem inter has duas Medicinæ partes intercedere nexum. Licet enim Chirurgus

manuali utplurimum opera ſuum præſtet auxilium, ſæpius tamen tum ad externa tum etiam ad interna recurrere medicamina cogitur. Patebit aſſertum vel ex levidenſibus iſtis theſibus de VULNERIBUS TIBIARUM EX CONTUSIONE ORTIS in chartam conjectis. Eligere tale Thema placuit, quoniam plures per annos Chirurgiæ ejusque operationibus incumbens, talia vulnera a Chirurgis æque ac ægrotis negligenter habita atque tractata haud raro moleſtiſſima & quandoque periculoſa admodum poſt ſe traxiſſe mala obſervavi. Quod ſi opellam meam minus exaſciatam deprehendes, ut temporis anguſtiæ, ingenio tenui minusque exercitato, atque feſtinanti calamo gratioſe ignoſcas, humaniſſimis B. L. a Te contendo formulis. Deum autem rerum humanarum Arbitrum ſubmiſſis invoco ſuſpiriis, velit auſibus benedicere divina ſua clementia, quo omnia in Sanctiſſimi Nominis gloriam proximique emolumentum cedant.

§. I. De

§. I.

DE Vulneribus corporis acturi haud raro in Naturam vulnerum in genere inquirere ſeque variis immiſcere ſolent controverſiis, dum nunc hujus nunc illius autoris definitionem examinando multa proferunt, quibus ſuperſedere utique potuiſſent. Mihi non extra Rhombum poſita videtur ea deſcriptio, qua dicitur, quod *Vulnus ſit morbus ſolutæ unitatis plus minus cruenta, in partibus corporis mollioribus extrinſecus accidens, per vim quandam inſtrumenti tum cæſim tum punctim tum etiam per contuſionem factam, productus.* Unde tria potiſſimum vulnerum genera, ad quæ reliqui vulnerandi modi referri poſſunt, emergunt. Quando jam quæſtio eſt, ad quamnam claſſem vulnera a me deſcribenda pertineant, facilè, ni fallor, tum ex titulo harum theſium, tum etiam ex dicendis patebit, quod tertiæ potiſſimum debeant inſeri. Hinc *Vulnera Tibiarum a contuſione orta*, quæ Germanico idiômate durch das Aufſchürpffen der

 Schien-

Schienbein exprimuntur, aſſero eſſe *Solutam unitatem partium mollium, nunc cutis, nunc partium ſubjacentium in Spina Tibiæ collocatarum magis minusve ſuperficialem atque profundam vix non ſemper maxime doloroſam & quandoque gravibus & minime negligendis ſtipatam ſymptomatibus, ab inſtrumento plus minus obtuſo vel acuto dilacerantеque ortam.*

§. II.

Subjectum vulneris deſcripti cruris ſtrictius ita dicti, quod illam partem, quæ ſub genu intercedit & pedem proprie ſic appellatum comprehendit, exque duobus, ut BLANCARDI verbis utar, componitur oſſibus craſſitie & robore plurimum differentibus, os illud, quod *Tibia* ſeu *Focile majus* vocatur, conſtituo: non quidem ratione ipſius ſubſtantiæ oſſeæ ſed ratione partium obtegentium. Et quidem in hoc oſſe amplo & valido ob laterum varietatem, JUXTA MODO NOMINATUM AUTHOREM, trianguli in modum protenſo, id quod anterius verſus interiora porrigitur, carne prorſus deſtitutum afficitur. Sic dictam *Tibiæ ſpinam* GALENO *Ocream* vocatam, intelligo. Notum eſt hanc oſſis Tibiæ regionem, nulla carne muſculoſa muniri, ſed Perioſtio, extremitatibus variorum muſculorum tendinoſis huic loco inſertis, cuteque tantum atque cuticula tegi. Quid mirum ergo, ſi vel ſimplex contuſio absque vulnere externe vel maximos producat cruciatus, cum tam exquiſito ſenſu præditæ partes hic occurrant. Experientia compro-

probatum eſt, quænam Ecchimoſes, inflammationes aliaque exinde producta fuerint mala; & quis neſcit quandoque homines in Tibiæ Spina vel leniter percuſſos, Lypothymia correptos fuiſſe.

§ III.

Mihi autem de contuſione ejusmodi ſimplici non eſt ſermo, ſed ſolutam unitatem tum cuticulæ atque cutis, tum etiam partium tendinearum imo ipſius Perioſtei loquor. Qui jam harum partium naturam perſpectam habet, is de immanitate dolorum, de reunione, ſi cutim excipias, difficiliori, & ſubſequentibus ſymptomatibus graviſſimis facile judicare poterit, præſertim ſi ſpernantur negligenterque tractentur ejusmodi læſiones Sive itaque quis crus allidat ad corpus durum, ſive eo percutiatur Tibiæ anterior pars acuta, non tantummodo contuſio ſimplex vel cum ſuffuſione conjuncta, ſed & partium Tibiam obtegentium dilaceratio fieri poteſt. O quam execranda itaque eſt peſſima iſta quorumdam ira percitorum conſuetudo, quando equorum inſtar calcitrantium, calceis pedes ſibi adverſariorum petunt, aut quando baculis crura, juniorum præſertim, verberantur. Inſtrumenta, quibus ejusmodi vulnera producuntur, varia eſſe poſſunt. Equidem non nego, corpora licet duriſſima modo ſint in ſuperficie æqualia contuſionem citius quam ſolutionem unionis producere

ducere poſſe, interim neque hoc quis omnino inficias ibit pro vario illapſu aut percuſſione ipſius corporis contundentis, tenaciſſima quoque corpora & hinc quoque cutim ſubjectasque membranas tendineas rumpi, præſertim, ſi ſuperficiei accedat inæqualitas & anguloſa conformatio.

§. IV.

In definitione dixi variis hæcce vulnera ſtipari ſymptomatibus. Præ reliquis eminet dolor ad deliquium animi haud raro adauctus, ob tendinum perioſtiique læſorum præſentiam. Accedit ſæpius tumor quandoque ſatis inſignis cum concomitante ſæpiſſime inflammatione, quam interdum motus ſequuntur febriles. Hæmorhagia, quæ alias in vulneribus quandoque accidit, hac in læſione ob vaſorum ſanguiferorum majorum abſentiam vix obſervatur. Stillicidium quidem aliquod guttarum ſanguinearum accidit, ſed enormis ſanguinis effluxus non contingit. Pro ratione autem vulneris plus minus ſuperficialis aut profundi, nunc majoris nunc minoris, ab inſtrumento fortius debiliusve dilacerante facti ipſa quoque modo allegata ſymptomata aliave, mitiora aut atrociora ſuperveniunt. Ut non dicam, de ſenſibilitate ſubjectorum nimia, dum ejusmodi reperiuntur homines, qui vel a leviſſimo quodam inflicto vulnuſculo lipothymias incurrunt, imo quan-

quandoque convulſiones graviſſimas patiuntur.

§. V.

Ad cognoſcendas Spinæ in Tibia læſiones aliis ſignis diagnoſticis opus vix eſt, quam tum ægri de parte vulnerata lamentabili relatione, tum ipſa oculari inſpectione, qua & unitas ſoluta & ſi forſan jam acceſſerit tumor & inflammatio facile deteguntur. Optandum autem eſſet, ut prudentiori, licet primo intuitu leviſſima etiam compareant, reſpicerentur oculo, quo poſtea non opus haberemus minus jucundam formare prognoſin. Obſervationum Scriptores a neglectis etiam vulnuſculis graviſſima ſæpe mala imo ipſam mortem inducta fuiſſe ſcriptis reliquerunt. Hiſtorias tragicorum ejusmodi caſuum recenſet HENRICUS AB HEER IN OBSERV. OPPID. RAR. *obſ.* 12. *de mortuis ex* MINIMIS ICTIBUS AUT VULNERIBUS. Sic quoque ROESLERUS, ut alias obſervationes ſilentio prætercam, in EPHEMER. NAT. CUR. DEC. I. ANNO 3. OBSERV. 319. vulnus punctim cum acicula circa cubitum lethale obſervavit, & mox OBS. SUBSEQ. unguium in pedibus reſectionem nimis profundam mortem intuliſſe recenſuit. Quod modo citatus author monitum profert ibidem, *Nil parvum, nil contemne*; exclamans, id etiam haud absque ratione hoc loco uſurpare potero. Quamvis enim tale vul-

nus Spinæ Tibiarum ſtatim lethale fieri vix affirmarem, attamen ſicuti juxta plurimos Authores imprimis BOERHAVE Tendinum & membranarum vulnera, calores, tumores, rubores late ſparſos, febres, deliria, ſpaſmos, inflammationem, inſenſibilitatem, immobilitatem, gangrænam imo mortem producunt, ita & tam gravia ſymptomata & triſtes eventus conjungi poſſe ipſa, proh dolor! loquitur experientia. Quid dicam de ulceribus dyſepuloticis hæcce vulnera haud raro excipientibus.

§. VI.

Licebit mihi cum pace eruditorum experto ut ita dicam loqui. Caupo quidam ruſticus e ſcala delapſus contuſionem cum excoriatione in Tibia paſſus, illam quamvis non absque moleſtia tacitus circumferebat. Cum autem poſtmodum acutiſſimus dolor cum tumore & inflammatione urgeret, Chirurgi tandem imploravit auxilium, qui quidem ſtatim convenientia adhibuit remedia, aſt vix non incaſſum, tandem tamen ſumma cum induſtria ultra novem menſes protractum malum pertinaciſſimum debellavit. Notus præterea mihi fuit miles triginta circiter annorum, qui bene potus plateas urbis cujusdam pererrans Tibiæ ſpinam & quidem ut ipſe poſtmodum dixit non adeo graviter alliſit. Inſuper hinc habuit læſionem nec ullam adhibuit medelam, aſt mox acceſſit inflammatio cum ſubſequen-

quente Gangræna, ita ut poſt elapſum quindecim dierum ſpatium Chirurgus pedis amputationem inſtituere coactus fuerit. His jungi merentur quæ Regia hac in urbe Argentinenſi obſervatu digna occurrunt exempla. Mulier quædam adhuc vivens ex levi Tibiæ contuſione vulnerata, primo negligenter vulnuſculum tractabat, poſtmodum a Vetula quadam accepta medicamina pro malo ſublevando adhibuit, ſed pernicioſiſſimo cum ſucceſſu, indies enim adaucto malo, accedentibus ſimul peſſimis ſymptomatibus, dolore, inflammatione, gangræna & tandem ſphacelo, eo res devenit, ut corruptum membrum enſe recidendum fuerit, ne pars ſincera traheretur. Multis porro non ignotum eſt exemplum Lanionis cujusdam, qui ex incuria percutiendo Tibiam ſimile vulnus paſſus eſt. Per octiduum præter propter dolores reticuit, donec iisdem urgentibus eo adactus fuit, ut inflammatum jam pedem Chirurgo monſtraret. Adhibita fuere plura, ſed cum omnibus auxiliis adeo nihil effectum fuit, ut plura potius mali moris ulcera in loco affecto non ſolum ſed & ulterius repentia, neſcio quo fato, an ipſius ægri an vero Chirurgi culpa emergerent, quibus jam ultra viginti annos torquetur. Non poſſum tandem obliviſci illius de Tibia vulnerata, ex quo vulnere mors ſubſecuta eſt, exempli, quod celeberrimus FORESTUS *Lib. 6. obſerv. Chir. obſ. 49.* refert. Verba ita habent. *Joannes Kæn. Delphenſis*, qui in inſigni ſolis habitabat, cum Tibiam offenderet ad rem duram ipſam

cum contuſione & vulnere transverſo læſit. Cum aut vulnus iſtud tum contuſionem parvi faceret ad octo dies ſibi ipſi muliercularum conſilio medebatur, ſed cum pes frigore affectus eſſet, incuria quadam in ſtuporem incidit crus, & ſubſecutus eſt ingens dolor, tum ſpasmus, quæ accidentia nullo modo mitigari potuerunt. Ad hunc cum etiam febricitaret, ſex Chirurgi acciti ſunt & Cornelius Ericius Medicus: poſtea & ego vocatus fui. Cæterum nullis remediis juvantibus ex dolore inſomnis factus, febre accreſcente in pede & in toto crure oborta eſt gangræna, quæ cum curari non poſſet & debilior eſſet, quam ut crus ſerra auferri poſſet, hic miſere ex tam levi vulnere prius perperam a mulieribus tractato obiit. Hæc ſimiliave exempla edocent, quantum incendium morboſum vel parva excitare ſcintilla, & quam moleſta dolorificaque ab ejusmodi Tibiæ læſionibus exoriri poſſint damna.

§. VII.

Quod autem talia vulnera præſertim neglecta non ſolum curatu difficilia evadant, ſed & inſignes poſt ſe trahant noxas, variæ allegari poſſunt cauſæ. Non dicam multa de conſtitutione & vivendi ratione ipſorum vulneratorum, notum quippe eſt Cacochymicos & pravæ diætæ, acri ſalitæ, vinoſæ &c. ſtudentes, facilem & brevem non admittere curationem, æque ac illos qui animi pathematibus nimis indulgent. Imprimis

primis reſpiciendum eſſe cenſeo ad illud quod haud pauci in Tibiæ parte acuminata læſi, vel plane non vel obiter ſaltem vulnus deligent, unde fit, ut fibrillæ jam dilaceratæ tum a Tibialibus haud raro aſperioribus continuo irritentur, tum ab äere imprimis, vulnerum infenſiſſimo hoſte, liberius accedente, alterentur, corrumpantur, ſi vel nimis calidus vel nimis frigidus vel etiam alio modo vitiatus atque impurus exiſtat. Aeris enim ambientis temperiem quam maxime in vulneribus conſiderandam eſſe ipſa experientia conſtat. Hinc eſt quod variis in locis leviuſcula etiam vulnera vel plane non vel vix curari queant; cujus rei plura poſſent adduci teſtimonia Illud nunc ſufficiat quod habet DOLÆUS *in Encyclop. Chir. Ration. l. 6. c. 5.* dum ait. Maxime äeris habendus eſt reſpectus, qui ſæpe quid in ſinu gerit, quod vulneribus infenſum eſt, uti conſtat ex obſidione Candiæ ubi Chriſtianorum tum temporis leviſſime vulnerati quicquid etiam adhibuerunt Medici ac Chirurgi obierant. Sicuti itaque in aliis ita & in his vulneribus ſedulo vitetur aer, reunioni medelæque quam maxime adverſus.

§. VIII.

Accedendum nunc etiam ad dictorum vulnerum curationem, quæ diverſa eſt, prouti ipſa vulnera nunc recentia, nunc inveterata, nunc magis nunc minus ſuperficialia, nunc cum levi-

 ori

ori nunc cum fortiori contuſione juncta ſunt. In recente & ſuperficiali malo, eo ſtatim allaboretur, ut vulnus probe deligetur, & emplaſtro quodam cicatrizante muniatur, quo tum äer arceatur, tum etiam Tibialium adfrictio impediatur: unde ſi nihil aliud ad manus ſit, vel ſimplex applicetur charta. Ecchymoſis quando ſimul adeſt, illa debitis remediis imprimis ſpirituoſis, Spiritu Vini ſimplici vel rectificato, vel camphorato, Aqua Reginæ Hungariæ, Spiritu Liliorum Convallium, Lumbricorum, Formicarum &c. quantum poſſibile abigenda. Non poſſum non hac occaſione aliqualem auxilii in ſugillationibus fere omnibus laudati, quod in fruſtrorum radicis Bryoniæ vel recentium vel etiam exſiccatorum, in Spiritu Vini maceratorum applicatione ſæpius reiterata conſiſtit, injicere mentionem. Quod ſi autem majori dilacerationi & vulneri magis profundo graviora accedunt ſymptomata, dolor, tumor, inflammatio, febris & alia, tunc ad ipſum morbum æque ac ad accidentia reſpiciendum eſt, illudque eo magis, quo diutius jam duravit malum. Sæpe certe melius tutiusque incederent Chirurgi, nimium quam par eſt, quandoque ſibi confidentes, ſi & Medicorum hoc in caſu audirent conſilia, unguentis enim, oleis atque emplaſtris ſolis haud raro absque ſucceſſu pugnatur.

§. IX.

§. IX.

Superius jam dictum fuit, quod in vulnerum medela multum conſtitutio ipſius ægri contribuat. Hanc igitur & hic noſſe oportet. Hinc Medici opera ſummopere neceſſaria: hic enim ſubjectum vel Plethoricum vel Cacochymicum agnoſcens, debitis etiam internis medicaminibus, quorum directio captum Chirurgorum tranſcendit, proſpiciet, & nunc vel Venæſectionibus, vel purgantibus, vel abſorbentibus vel vulnerariis vel aliis quibusvis, ſymptomatibus tum præſentibus, tum metuendis obviam ibit. Equidem Venæſectione minime opus eſſe, ſunt qui clamant, cum Hæmorrhagia in loco vaſis ſanguiferis majoribus deſtituto vix obſervetur. Aſt quis in corpore plethorico, præſente inflammatione & febri & urgente dolore, præſertim dum indicantia & permittentia omnimodo conſpirant, negligeret tam ſalutare auxilium. Ipſa certe experientia monſtrat, illam neglectam magnum vulneratis attuliſſe damnum. Audiatur QUERCETANUS IN SCLOPETARIO. *Maxime*, inquiens, *neceſſe eſt in vulneribus quibusvis ſanguinem detrahere idque ſtatim in principio, ut defluxus humorum prohibeatur caveaturque ne phlegmone aliquo moleſtetur atque febre infeſtetur.* De purgantibus quoque diſputant an adhibenda ſint nec ne? Aſt in corpore humoribus pravis repleto & per vitiatam diætam vix non corrupto, ſummi uſus

eſſe poſſe quis dubitare poteſt? ipſa rurſus experientia comprobat, ejusmodi vulnera vix curari potuiſſe niſi adhibitis prius repetita quidem vice laxantibus atque purgantibus. Nolo jam prolixus eſſe in reliquis remediis alterantibus internis, potionibus vulnerariis & ſimilibus recenſendis, dum farrago eorum ingens in omnibus fere reperitur libris. Videndum potius adhuc eſt, quibus remediis externis vulneri ejusmodi ſæpe ſæpius pertinaci, præſertim cum per moram invaluerit, occurrendum.

§. X.

Cum antê omnia inflammatio atque dolor (nam de extractione rerum heterogenearum, ſi adſint, nullum dubium eſt) in conſiderationem veniant, illa vel ſpirituoſis ſupra dictis profligatur, vel juxta alios oxycrato ſiſtitur, vel fomentationibus calidis abigitur, vel aqua calcis vivæ aliisquis mitigatur; hic vero variis anodynis, e vitellis ovorum, farina hordei vel mica panis albi cum croci tantillo in lacte coctis, albumine ovorum, oleo roſaceo, Rutæ, Hyperici, unguentis & linimentis demulcentibus, Balſamo Peruviano vel de Copayba aliisque ejus generis medicamentis imminuitur aut tollitur. Gangræna ſi immineat, omni ope nitendum ut avertatur, ſi autem jam præſens ſit, ut quam primum diſcutiatur. Non raro quoque præſertim in inveteratis hiſce vulnuſculis inſignis humorum accidit

affluxus

affluxus quem impedire atque arcere maxime neceſſarium eſt. Cæterum ſi gravia ejusmodi ſymptomata vel abſint vel profligata ſint, tunc vulnus ab omni ſorditie probe mundificatum, debitis unguentis & balſamis vulnerariis, e quibus decantatum iſtud hodie Balſamum Arcæi eminet, ut & emplaſtris tractetur, donec tandem eo res devenerit, ut emplaſtro exſiccante v. g. de Lapide Calaminari aut Diapompholygos decens induci queat cicatrix. Nolo me jam, ut tempori parcam, curæ ulcerum inveteratorum a tali vulnere neglecto oriundorum me immiſcere. Illud ſolummodo adhuc ſub finem notatu dignum eſſe judico, quod plures reperiantur circumſtantiæ, quæ ſanationem haud parum remorantur. De äeris, victus depravati, Temperamenti & conſtitutionis noxis jam mentio facta. Tangenda ſolummodo adhuc vel pauciſſimis verbis tum vulneratorum incuria, tum imprimis Chirurgorum nunc in applicatione remediorum nunc in inſtituenda deligatione ignorantia atque negligenia. Ineptæ ejusmodi tractationis teſtimonium profert ISBR DIEMERBROECK. OBSERV. ET CURAT. MED. OBS. 15. Verba ſic leguntur. *Andreas Joannis Caupona cum ebrius portam cubiculi ſui clauſam vi aperire vellet, pedem quam maxima vi potuit in januam intorſit, qua in medio disrupta, crus cum impetu per foramen tranſiit & læſum fuit in tibiæ medio paulo introrſum verſus ſuram, ſolutione non admodum lata, ſed usque ad perioſtium pertingente, a contuſione pars quoque multum intumuit. Ignarus quidam Chirurgus ipſum per*

 aliquot

aliquot dies tractaverat, tandem doloribus increbeſcentibus etiam meum conſilium petitum fuit. Totum crus valde intumuerat & obſcure ex livido vireſcebat, cum doloribus acutisſimis ac jam ſphaceli prodromum gangrænam contracturum color ſatis demonſtrabat. Quod malum Chirurgi inſcitia vel errore inductum fuiſſe ſtatim animadverti: hic enim petia dura vulneri usque ad perioſtium immiſſa illud tam arcte obturaverat, ut nulla humiditas inde egredi poſſet: huic emplaſtrum defenſivum (ex bolo aliisque adſtringentibus concinnatum) ad manus latitudinem impoſuerat denique cruri a genu usque ad pedem lintea oxycrato madefacta circumjecerat, totumque crus faſcia arcte ligaverat, atque tali modo inflammationem & tumorem impedire voluerat. Vulnus plane crudum erat & male coloratum, ſine ulla digeſtione & extracta petia tantum pauxillum ichoris aquoſi effluebat. Ego his omnibus abjectis, ut gangræna prævenire poſſet vulnus Spiritu Vini ablui, nullam petiam immitti, ſed tantum linteolum quadruplicatum eidem imponi, ac toti cruri hoc fomentum calide circumjici curavi. Rec. Herb. Betonicæ, Thymi, abſinthii, Salviæ, Hyſſopi, Rorismarini, florum Chamomillæ, ſambuci, meliloti, roſarum ana man j. (Seminis Cumini, leviſtici ana unc. ſemis Bacc. Lauri drachm. ij. Vini albi q S. coquantur ad libr. iij. adde colaturæ Spiritus Vini libr. j. His impoſitis dolor ſequenti nocte multo mitior fuit, & multum aquoſi ichoris per vulnus effluxit. Crus intra biduum plane detumuit & ad naturalem colorem rediit, pus quoque bene coctum ejecit, atque deinde debito modo tractatum ad ſanationem facile perductum fuit. Claudo hac Diemerbrœckiana relatione meam qualemcumque de materia propoſita elaborationem, Deo T. O. M. ſit Laus Honor & gloria.

DOnat grata tuis ſtudiis Medicina Coronam,
Votaque dat meritis, mens mea mille tuis.

Nobilitatis tuæ Patriota ſuaviſſime
ad obſequia paratiſſimus

JOANNES FRANCISCUS WILHELMUS WESTPHALEN ex FÜRSTENBERG.

NOn diſceptando aut ſubtilibus argumentis
Cheirurgus prudens fit medicuſve ſciens;
Ut decuit, docuit, qui re ſua verba probavit,
Hunc duplici lauro condecorare decet:
Sit vel Cheirurgus medicamve exerceat artem,
Beckerum hinc aliud nil agitaſſe putes.

Sic Nobiliſſimo Domino Candidato amico
æſtimatiſſimo gratulabundus accinit

THEODORUS MASER,
Bernas. Helvet. Med. Cult.

VUlnera dum dicis cruris, via ducit ad aſtra
Aſpera, nam nobis absque labore nihil.

Paucis hiſce Nobiliſſimo Domino Candidato
amico ſuo ſuaviſſimo ex animo gratulatur,

J. B. BRUMMER.
Brunſuic. Med. Cult. & Oppon.

MEin Freund! Du zeigeſt uns was dein Verſtand gefaſſet/
Der bey den Kernen bleibt und keine Schahlen ſucht/
Dann da die kluge Welt ein höltzern Hertz verflucht/
Und die durch Müſſiggang verroſte Sinnen haſſet/
Wird Deine Schrifft vor Dich ſtatt eines Redners gehn/
Und Dein verdientes Lob auf guten Füſſen ſtehn.

Mit dieſem wenigen wolte dem Herrn Candidato zu abgelegten öffentlichen Specimine gratuliren

PHIL. JOH. CHRISTOPH. LANGROETGER,
Mülhemio Montanus Jur. Stud.

ES muß ein kluger Artzt auch kleine Schäden heylen/
Und nicht nur immerhin nach groſſen Wunden ſehn;
Wirſt du die Funcken nicht in ihrer Aſche theilen/
Wie leichte kan daraus ein groſſer Brand entſtehn?
Diß haſt Du/ **Werther Freund**/ in dieſer Schrifft gewieſen/
Und der gelehrten Welt ſo deutlich dargethan
Was die erkranckte Schaar von Dir dereinſt genieſen/
Was ſie von Deinem Fleiß in Zukunfft hoffen kan.

Dem Wohl-Edlen Herrn Candidato ſeinem wertheſten Freund ſetzet dieſes zu Ehren bey.

J. M. W. LL. C.

FINIS.